

scdere & gratia Dei esse, ac proinde fidem, extra quam impossibile est placere Deo, habere statuatur.

96. Hi igitur ad Sacramentum hoc fidem quidem minimè afferunt: eam tamen in ipso ejus usu divinâ institutione & bonitate accipiunt & consequuntur.

97. Quemadmodum verò Confessio nostra per fidem non intelligit nudam illam notitiam historie de Christo: sed assensum & fiduciam, generalem promissionem gratiæ in individuo sibi applicantem.

98. Ita promissionum termino non tantum notat eas promissiones speciales, quæ ad partes Sacramenti, aut eiusdem substantiam pertinent: Sed Sacramentarias etiã eas, quæ sunt Evangelij propriæ, quæq; uti Confessio loquitur, per Sacramenta exhibentur & ostenduntur, hoc est, obsignantur, & ceu visibili signo interposito, confirmantur.

99. Neque enim alia est gratia, quæ in verbo promissionis: & alia, quæ in Sacramentis exhibetur: nec alia promissio est in verbo Evangelij, alia in Sacramentis: sed eadem est utrobique gratia, unum & idem promissionis verbum: nisi quod in Sacramentis per signa divinitus instituta, verbum quasi visibile redditur.

100. Quod si verò quis dubitet, Quis ad salutarem usum Sacramentorum fides requiratur cum ad eam excitandam potius ille sit institu-